

ET ILLUSTRUM.
DEMETRIUS I.

19.



Nummum similem, inquit ARCHÆOPHILUS, jam apud Vaillantium vidi. Vaillantii Nummus, respondit DULODORUS, literis numeralibus à nostro differt. Percussus enim est Anno ΔΝΡ, id est, 154. cum noster annus HNP. 156. præferat. Cæterum rem utrinque eandem signari, haud invitus agnoverim, quis enim Tyrios Numismatis autores neget, cum eorum nomen in eo profert? Quis Tyrios navali potentia illustres? cum tamen primi navigasse, primique Triremium inventores authoribus idoneis memorentur? Hoc tritum est, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem ad Numisma sufficiat? annon speciale quoddam meritum Tyriis causa numismatis fuerit? Si hanc exquiras, inquit DULODORUS, poteris ad Legatos respicere, quos Demetrius anno 154. Romam misit, quosque fortasse Tyrii navibus suis deduxerunt. Si conjecturam admittas, utique non absolum erit credere, Anno 156. eos rediisse, ideoque Typum in nostro Numismate tunc repetitum esse. De hoc autem suum cuique placeat. Sed alia subeunt Demetrii Numismata



vel ideo proponenda, quia apud Celeberrimum Vaillantium de Regibus Syriae non exstant. Plures Demetrii fuere, exceptit ARCHÆOPHILUS indeque quis dijudicet, an ad primum, an ad secundum hæc pertineant, nullo in Nummis occurrente certitudinis indicio? Primo, respondit DULODORUS, addicit faciei similitudo, quæ cum Apollinis insignibus expressa, adhuc tamen satis perspicue noscitur, adeoque dubii nihil relinquit. Eo scilicet ambitio progressa est, ut miscendo humana divinis, Majestatem suam Augustiorem conaretur facere. Apollinem, respondit ARCHÆOPHILUS, arguit & Tripod in utroque Numismate, nec dubium est, ad originem Regum Syriae, Deum referendum esse, de quo alibi. Rem tenes, inquit DULODORUS, ideoque ad alia nobis transeundum. Sequitur

(C) 2

ALE-